



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

QUI DIVINO

TEMPLUM ABBATIALE URBIS «SCHYREN», IN ARCHIDIOECESI
MONACENSI ET FRISINGENSI, AD HONOREM BASILICAE MINORIS TOLLITUR

Ad perpetuam rei memoriam. – Qui divino consilio munere fungimur summi dominici gregis Episcopi cunctaeque catholicae familiae patris, quae sane quovis modo fidelium pietatem augere cognovimus aut animis sanctam instillare religionem intelleximus, et profecto seu Ipsi facimus, si res ferat, seu libentissime ab aliis fieri patimur. Qui enim ut Petrus, Apostolorum princeps, gregem pascendum suscepimus, eius Nos utilitatibus, quantum humana fragilitas sinit, die nocte invigilamus. Qua re, cum Venerabilis Frater Noster Iosephus S. R. E. Cardinalis Ratzinger, Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis, suo clerique fideliumque nomine iam a Nobis petierit ut templum abbatiale simulque paroeciale quod in loco Schyren exstat, in suo territorio, ad dignitatem Basilicae Minoris eveheremus, Nos, sive ad antiquitatem, sive ad historiam, sive ad artem, qua nitet, sive denique ad momentum templi singulare respicientes, ob reliquias Sanctissimae Crucis insignis, cetera; quae a Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino sunt acta probantes, expostulationem tam Venerabilis Fratris aequo animo admittimus. Placet ergo templum, de quo sermo habitus est, ad Basilicae Minoris dignitatem tolli, cum iuribus ac privilegiis Liturgicis talium templorum propriis, servatis nempe iis quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii, anno MDCCCCLXVIII, factum servanda iubet. Quod felix faustumque sit. Contrarias nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die XXV mensis Iunii, anno MDCCCCLXXVIII, Pontificatus Nostri primo.

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana